





DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE
LIBELLO ACTIONIS
OB LAESIONEM ENORMEM
INSTITVENDAE
NON DISIUNCTIVE CONCIPIENDO
AD L. II. C. DE RESCIND. VEND

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDIO
D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII
IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS

P R O
SVMMIS IN VTROQUE IVRE CAPESSENDIS
HONORIBVS

AD D. XV MARTII MDCCCCLXXIV
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
S V B M I T T I T

AVCTOR
NICOLAVS STAMPEEL
CAPITVLARIS ECCLES. CATHEDRAL. HAMBVRG

HELMSTADII
LITPERIS VIDVAB P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR

1774, 1
562.
13



LIBELLO ACTIONIS
OB PARSIONEM PIGNORUM
NON DEVICTO COMENDO
PRASIDIO
D. ALBERTI MILLIPPI PRICKI
SPEMUS IN VIROGVE JURE GRESSENDIS
AD D. X. MARTII CINCENSEM
NICOLAUS STAMPERE

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
LIBELLO ACTIONIS OB LAESIONEM
ENORMEM INSTITVENDAE NON
DISIUNCTIVE CONCIPiendo

I

*Emtione et venditione perfecta tam periculum rei, quam
pretii iacturam sustinet emtor, non obstante
L. 33. D. locati.*

Perfecta emtione ac venditione, res specialis vendita quamvis nondum tradita sit a venditore: nihilominus tamen ad emtorem periculum rei alienatae spectare aequè ac eundem illum, perempta tali re, ad pretii solutionem compelli posse, iterata vox est nomothetae romanae a). Nec iniqua dici poterit haec qualiscunque legislatoris voluntas. Quum enim id, quod post emtionem et venditionem perfectam rei emtae accedit, pertineat ad commodum emtoris: nihil sane iustius excogitari poterit, quam ut idem is periculum rei emtae sustineat.

A 2

Sibi-

a) Enolvas, si placet, §. 3. I. de emt. et vend., L. 7 et 8. D. de peric. et comm. rei vend., L. 5.

§. 2. D. de rescind. vendit., L. vit. C. de per. et comm. rei vend.

Sibimet ipse hoc imputet. Socordiae poenam luat, dum, licet rem non acceperit, venditor nihilominus pretii solutionem vrget. Etenim hic sese tantummodo rei tradendae necessitate obstrinxit, ac penes emtorem stetit, quo minus rem emtam statim acciperet.

Quae vero quum ita sint: mirari saepius coepi, qui fieri potuerit, vt ei vel vnus AFRICANVS viros summos, puta IAC. CVIACIVM b), IOANN. BORCHOLTENIVM, c) HENR. BOCERVUM d), HERM. VVLTEIVM e) turbare potuerit, adeo, vt docere nulli erubescerent, rem emtam perire quidem emtori, nequaquam vero pretium. Tantum abesset, vt emtor, re peremta, pretium soluere deberet, vt id potius iure repeteret, si forte in antecessum fuisset datum. Ilicet igitur pugnabo cum tantis viris. Docti, ne excandescite! Indocti, ne exultate! Non pugnabo. Modeste et verecunde modo dicam, quae mihi sit mens de AFRICANI verbis, quibus doctrinam CVIACII, eiusque asseclorum, parum iuuari, opinor. Infit AFRICANVS f).

Si vendideris mihi fundum, isque prius, quam vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex emto. Quod haftenus verum erit, vt pretium restituas, non vt etiam id prae-

b) CVIACIVS Tract. VIII. ad African. in L. 33. D. locat.

c) BORCHOLTEN Comm. in Inst. tit. de emt. et vendit. §. 3. n. 3.

d) BOCERVS Part. I. diff. Class. II. disp. III, ib. 81.

e) VVLTEIVS Comm. in Inst. tit. de emt. et vend. §. 3.

f) L. 33. D. locat

praeses, si quid plus mea interfit, cum vacuum mihi tradi.

Responsum de specie singulari, idque nec ad consequentiam trahendum, lectori beneuolo verbis allatis sistit AFRICANVS, qui alioquin communes iuris regulas sequens adfirmabat g), perfecta emtione ac venditione emtorem sustinere tam periculum rei emtae, quam pretii iacturam. Liceat quaerere, an, quod fecus sentientes somniant, disputat de re alienata peremta, vel exincta casu quodam improuiso? Minime. An inquirir, num emtori? num venditori pereat fundus, post perfectam emtionem et venditionem publicatus, quem, annalium monumentis edocti scimus, aut rei publicae adiectum h), aut militibus in emeritorum stipendiorum, et strenue in bello nauatae operae praemium olim datum fuisse i)? Minime. Quid ergo? Loquitur de fundo alienato, eodemque prius publicato, quam vacuus tradebatur, et ita quidem de tali fundo loquitur, vt ingenue dicat, quid sentiat de obmota quaestione, vtrum videlicet ad id, quod emtoris intererat, fundum emtum vacuum non fuisse traditum, actione ex emto tunc adigi posset venditor, si hic, agro post perfectam emtionem et venditionem publicato, tanquam alter Meliboeus dulcia linquens arua sub-

A 3

sub-

g) L. 39. D. de solution.

h) Exempla inuenies in PETR.

BYRMANNI *Comm de Vecti-**gal. Pop. Rom., Cap. I. lungas,*

si placet, CAR. SIGONIVM

de ant. Iure Pop. Rom. L. I.

C. II.

i) L. II. D. de euiction.

subinde incuset iniuriam temporum; si inter gemitus suorum vlulatusque ira conqueratur k),

- - - *undique totis*

Vsque adeo turbamur agris - - -

breuiter, si venditum fundum, ob insequutam publicacionem, vacuum tradere nequeat? Non tenetur, iuxta AFRICANI responsum, talis venditor infelix ad illud interest, quod pretium egreditur. Quam ob causam? Per ipsum enim non stabat l), quod contractum perfectum rescinderet superueniens principis voluntas, qua ager alienatus publicabatur. Si ergo illi imputari non potest culpa, cur non vacuum traderet emtori fundum, post emtionem et venditionem perfectam publicatum: sane non permittit bona fides, qua tamen finire, constat, actionem ex emto, ut venditor damnaretur ad praestacionem eius, quod interest, tantummodo culpae coercendae ergo comparatam, At vult AFRICANVS, *pretium restitui*. En tela, quibus vititur CUIACIVS! Interpretes non pauci, dum in deregenda huius decisionis ratione desudarunt, aut farentur suam inscitiam m), aut adferunt rationem, quae nec probari, nec reti-

k) VIRGIL. *Eclog. I.*

l) Equidem me non fugit, IUL. PACIVM *deacr. L.V. Cap. VIII.* istam honorum publicacionem subintelligi voluisse, quae irrogari solet damnatis. At, quae in cit. *L. 33. D. loc.* occurrunt, verba, *quamuis per te*

non stet, respuunt hanc expositionem. Vid. MARC. LYCKLAMA A NYHOLT MEMBR. *L. VI. Ecl. III.*

m) Inter hos suum nomen profertur GVIL. RANCHINVS *var. Lectionib. C. XI.* Inferuit eas I. HERM. SCHMIDT-

retineri potest. Mihi persuadeo, adfuisse, ex veterum iuriconsultorum placitis, speciem quandam euietionis, si tristis publicatio abstulerat fundum n). Quum vero actione ex emto ordinarie tantum persequi queamus pretium simplicum, si res fuit euieta: non iniquum esse videbatur AFRICANO, et tunc pretium, in antecessum datum, restitui, si fundum publicatum, tanquam rem quasi euietam, tradere non possit venditor infelix. Hoc modo si interpretamur AFRICANI responsum: non contradicit relictis iureconsultis. Optime cohaerent omnia, nec frustranea fuit omnis, quae huic rei inuestigandae impendebatur, diligentia. Quae si tibi, mi docti CUIACI! si vobis, quotquot sunt diui CUIACII sequaces, in mentem venissent: docuissetis, iurare auferim, vos plane non perspexisse AFRICANI mentem, neque verborum eius vim adfectos fuisse, dum scribebatis, decisionem singularem, in singulari specie ab AFRICANO datam, generatim et tunc valere, si quaedam res vendita, ante insequutam traditionem, casu quodam improviso perempta esset. Non amplius, spero, dubitabitis, importunam hanc a vobis traditam doctrinam spongia dignissimam iudicare.

II: Pre-

CKIUS *Syntax. critic. var. auctor.*
n) Quod non obscure colligi

potest ex *L. u. D. de euietion.*

II

*Pretio oblato rem tradere tenetur venditor, ni dolus causam
 dedit emtioni et venditioni. Tunc eam ipso iure nullam
 esse, docetur ex L. 7. D. de dolo malo, licet enormis
 laesio non adsit.*

Tanti, quod eminet, periculi evitandi ergo emtor sibi, suisque rebus, optime consulit, si moram non nectens solutionem promissi pretii praestet, simulac perfecta est emtio. Nam pretio oblato traditionem rei alienatae venditor recusare nequit, modo non dolus causam dederit emtioni et venditioni. Si enim talis dolus adest: is non actione de dolo, non exceptione ex Aquilii edicto, sed officio iudicis ipso iure corrigitur, quamvis deficiat laesio enormis. Ipsa naturalis ratio, qua ius gentium censetur, ut in quovis bonae fidei contractu, ita etiam in emtione venditione bonam fidem, id est, veritatem ac simplicitatem desiderat, adeo, ut emtionem et venditionem nullius momenti esse iudicet, in qua desideres bonam fidem, ac talem dolum reperias, sine quo alioquin ultro non contracturus fuisset o). Et veteres iureconsulti, quorum centonibus constat nostrum pandectarum corpus, docuerunt, stricti iuris contractus, licet iis celebrandis dolus causam dederit, civili quidem iure valere, et demum iure praerogatio rescindi: e contra emtionem et venditionem, quam

quis,

o) Evolvat ea propter, si lubet, praeter SAM PUFENDORFF. *de iur. Nat. L. III. C. VI. §. VIII.* CHR. WOLFFII *iur*

Nat. P. III. §. 569., et CHRIST. NETTELBLATII diff. de Doli incident. et causam dantis in contractib. effectu §. 28.

quis, dolo inductus, iniuffer, ipso iure nullam esse, ac proin nec parere actionem, nec egere rescissione, iussu Praetoris instituenda p). Nec quidpiam interesset, vtrum in contrahendo dictum promissumue esset, ex bona fide: aut vti inter bonos agier oportet: aut dolum malum abesse? an vero tali formula loquendi contrahentes vsi non essent? Ne temere id dixisse videar: audias quaeso *VERPIANVM*, cuius verba, huc spectantia, integra exhibeamus: vtpote ista cruda emendandi ratio, quae in necem verborum exercetur, nobis semper displicuit. Ita sonant iuxta editionem florentinam q).

Et eleganter Pomponius haec verba si alia actio non fit sic excipit, quasi res alio modo ei ad quem ea res pertinet salua esse non poterit. Nec videtur huic sententiae aduersari quod Iulianus libro quarto scribit, si minor annis viginti quinque consilio serui circumscriptus eum vendidit cum peculio, emptorque eum manumisit, dandam in manumissum

B

p) Id quod pluribus docuerunt *IOS. AVERANIVS Interpr. iur. L. I. C. XIV.*, *ARNOLD. VINNIUS Iur. Quaest. L. I. C. XII.* Reiciunt quidem hanc de dolo factam distinctionem *GERH. NOODTIVS de form. doli mali emend. C III. et VII.*, *IOH. WOLBERS Obseru. C. IV.*, atque *BVECH. CHRIST. a BEHR. diss. de Act. de dolo malo, n. VIII.* At rem optime perorant *IAC. FRID. LVDOVICI de dominio e contra-*

ctu dolofo non translato §. 15. seqq.

q) *L. 7. D. de dolo malo.* Verba exhibuimus ita, prout leguntur in *FERD. CAR. HOMMELII Palingsf. Iur. P. III. p. 71.* Huius legis verba audaculus *NOODTIVS l. c.* non dubitavit sollicitare. At inuita *Minerua.* Ex illa duo cominata extrudere cum viro celeberrimo ego quidem non aufferim.

*missum de dolo actionem: hoc enim sic accipimus, cavere dolo emptorem ut ex empto teneri non possit: * aut * nullam esse venditionem si in hoc ipso ut venderet circumscriptus est. et quod minor proponitur, non inducit in integrum restitutionem: nam aduersus manumissum nulla in integrum restitutio potest locum habere.*

Interpretari his verbis, paulo obscurioribus, ac inde illustrandis, **VLPIANVM**, quiuis et vel me non moneute fatebitur, edicti de dolo malo verba, *si alia actio non erit, iudicium dabo.* Quae verba, teste **VLPIANO**, **POMPONIVS** ita accipiebat, quasi iis significaret, se tunc demum daturum de dolo actionem, si quando res alia ratione illi, ad quem pertinet, salua esse nequaquam posset. Famosa actio de dolo a Praetore non decerneretur, quamdiu adesset vel ciuilis, vel honoraria actio, qua posset experiri deceptus. Usque adeo ut, licet interdictum adesset, quo quis vti, aut exceptio, qua quis se tueri, remque suam saluam habere posset, hoc edictum cessaret. Hanc edicti interpretationem, a **POMPONIO** datam, ratam habebat **VLPIANVS**, sibi que acceptam, licet caeteroquin eandem illam non omni difficultate laborare probe nosceret. Nam interpretationi huic obstare videbatur, quod **IULIANVS** scripserat, *si minor annis XXV consilio serui circumscriptus eum vendidit cum peculio, emptor que eum manumisit, dandam in manumissum de dolo actionem.* Num quae hoc ipsa periodo, quae recitata a nobis est, **IULIANVS** aliud quid innuere voluit, atque hoc, venditori minori dece-

decepto succurrendum esse actione [de dolo, quamvis ei res aliter salva esse posset? Aut enim haberet ex ipso venditionis negotio actionem aduersus emtorem: aut, fauore aetatis, restitutione in integrum iuuandus esset venditor, cuius vultus nondum prima lanugine vernasser. Hanc IULIANI sententiam non obstare interpretationi edicti de dolo malo a POMPONIO factae, respondebat VLPIANVS. Videlicet in eo IULIANVM non errare, credebat; dum si indulserat decepto venditori actionem de dolo, aduersus decipientem manumissum, non ut reuocaret istum in seruitutem, sed ut potius resarciretur damnum praestatione eius, quod interest, seruum decipientem non amplius esse in dominica potestate. At quare quaeso VLPIANVS adprobauit hanc IULIANI doctrinam? Id inde factum, mihi est verisimile, quoniam, specie allata paulo penitius considerata, animaduertenter, quod nec actio e venditione resultans, nec restitutio in integrum locum habere posset, ac proin adesset species, quam POMPONIVS in data interpretatione edicti de dolo malo supponebat. Nimirum beneficium restitutionis in integrum ideo non poterat indulgeri, quoniam seruus decipiens nec directe libertatem e suo dolo consequutus erat, nec etiam illam e dolo suo obtinuerat: quippe emtor, doli a seruo commissi inscius, potuerat eum non manumittere. Ac multo minus emtor manumissor, iuxta VLPIANVM, teneri poterat e vendito. Nam carebat dolo. Quid? quod emtio et venditio, in allata specie, ea propter nullius momenti fuit, quia *venditor minor in*

boc ipſo, vt venderet ſeruum, circumſcriptus fuerat. Supponit hiſce VLP IANVS dolum, qui rationem continet, quare venditionem ſerui inſtituerat minor. Si eiufce generis dolum hic non latere putes: opus ſane eſt, vt, VLP IANVM loqui de dolo incidenti dicas. Quis vero vnquam de dolo incidenti adfirmavit, decipientem in hoc ipſo, vt contractus ineatur, circumſcribere deceptum? Dolum ergo, qui in propoſita ſpecie cauſam dedit emtioni et venditioni, ſubintelligebar iureconſultus. Ac quum generatim aſſereret, nullam eſſe venditionem, ſi quando talis dolus deprehenderetur: ſequitur, iuriſconſultum nec eam ſpeciem venditionis excipere voluiſſe, qua laeſio modica deprehenderetur. Eant nunc in conſilium, quibus ius ſuſfragii eſt, et iudicent, an VLP IANVS aliud docuerit, ac ego docui de dolo cauſam dante emtioni et venditioni?

III

*Si laeſio ultra dimidium veri pretii adefi, et dolus non concurrat
actione inſtituenda venditionem reſcindi, primum voluit*

L. 2. C. de reſc. vendit.

Ius illud, quod non didicimus, ſed natura hauſimus, tuendae ſocietatis humanae ergo vult, vt nihil fallaciter, nihil inſidioſe, nihil ſimulate agat homo, ad candorem et veritatem natus. Non patitur natura, vt aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus. Quare et in emtioniſ ac venditioniſ contractu aequalitatem a contrahentibus obſeruari optat. Quid ergo? an reſcindenda emtio

tio

rio et venditio? an vero tantummodo emendari deber pretium, quod inaequale deprehenditur, si laesto ex vtriusque ignorantia oriebatur? Noluissē veteres, opinor, perfectam emtionem ac venditionem rescindi e causapretii, paulo minoris ex incuria soluti r). Melius esse, sapienter iudicabant, vt laesione momenti leuiiores castigaretur leuitas ad rem non attendentis, quam vt lites in infinitum crescerent. Tales vero adfuturas, periculum erat, si emtionem et venditionem, sub quali quali praetextu circumscriptionis in pretio, resoluerē posset ex vulturibus togatis, quos hodie fora circumuolare conspiciamus, vilissimus iste, qui, licet manus ipsius mensque olim ad pennas occaluerat, auu in lectum genialem deducta in notariorum album relatus ad quaestum omnia, ad conscientiam nihil refert: qui pestiferis artibus et concussionibus non minus nocet humano generi, quam si furtis et vulneribus patriam deuastaret: qui heredipetas, violatores stipulationis sancte factae, reos criminis transactionis laesae, hinc infames, in clientiam recipit: qui domi inter Caepollae, Couarruuiae, Barbossae scripta aeterna, ob frequentem usum corio suillo religata, delitescit incurius, licet et ipse, et cliens ob neglectum decalogi praeceptum, ne concupiscas, tristēm honoris et animae iacturam non euitent: qui quotidie ad coelum has preces fundit, ab actionibus ad damnum et interesse praestandum libera nos domine: breuiter in cu-

B 3

ius

r) Vid. AR. PINELLI *Comm. ad L. 2. C. de resc. vend. P. I. C. I. n. 3.* NOODTII *Comm. in Dig.*

tit. eod. HERM. GOEHAUSEN. Peric. Acad. P. III. Peric. IV. Qu. XXI.

ius capillamenti cencinno quouis malignum casum in terminis nidum fecisse iurares, et ad quem aliarum fortunarum mangonem, vel potius Harpyiam crumenimulgam, tanquam ad nocturnos lemures, portentaque Theßala cohortesceres.

Quid rides?

Mutato nomine de te fabula narratur.

Sicuti vere dolus olim in negotiis stricti iuris negligebatur, donec prodita erat a Gallo Aquilio actio et exceptio doli mali: ita etiam pederentim humanum esse, credebatur, succurri circumscripto, si appareret graue damnum in pretio, cuius iustitiam ac veritatem curate explorare, non esset cuiusuis. Doctrina haec tanto iustior esse videbatur: quanto certius est, saepius nec locum, nec tempus pati explorationem pretii paulo exactiorem, ac emtorem insuper non raro ad istas res, de quibus bene sperandum esse credebatur, accedere, imo eum plerumque sequi, qua verisimilitudo, non qua veritas ipsum trahit. Magnitudinem laesionis, ex iniusto pretio subortae, non tam deceptus, quam iudex metiebatur, utpote in bonae fidei iudiciis liberior huic iudicandi potestas ob clausulam ex bona fide, item aequius melius, aut similem erat relicta. Insequuta autem illa temporis periodo, de qua canebat HORATIVS S)

Actas parentum, peior auis, tulit

Nos nequiores; mox daturos

Progeniem vitiosorem - -

e re

S) HORATIVS L. III. Od. VI.

e re publica esse, videbatur, ut modus laesionis in pretio antea incertus, hinc non nisi a Praetore definiendus, certus foret ac finitus. Primi, mihi persuadeo, modum laesionis in pretio ad certum adduxerunt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, Imperatores legibus latis perincludi, quas inuenies in codicibus Hermogeniano et Iustiniano. Quod ea propter prodiit, rescriptum huius tenoris est t)

Impp. DIOCLET. et MAXIM. A. A. Lupo.

Rem maioris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit: humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus fundum venundatum recipias, auctoritate iudicis intercedente: vel si emptor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars (veri) pretii soluta sit.

Nec dies quidem, nec consul conspicitur in codicillis his caesareis. Et quamuis CONSTANTINVS M. auctoritate carere iusserit edicta et constitutiones sine die et consule u): tamen valor rescripto, quod attuli, non detrahendus. Nam IUSTINIANVS constitutionibus, etiam die et consule destitutis, auctoritatem imperiebat, modo in codicem repetitae praelectionis fuerint relatae w). *Humanitate* niti, edixerunt Imperatores optimi, ut, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit, alter pretium restituatur, alter fundum recipiat. Quis enim vnquam credidit, tam emto-

rem,

t) L. 2 C. de rescind. vendit.

w) Constit. de nou. Cod. faciend.

u) L. 1 C. Theod. de constit. princ. §. 2.
et edict.

rem, quam venditorem consensisse in damnum, quod limites dimidii pretii excedebat? Intercedit insuper aequitas, ac iubet, ne quis se cum alterius laesione locupletiores reddat. Quamvis pretium contrahentium conventionem limites accipiat: bona fides tamen non patitur laesionem immodicam. Quae si cogites: dubio procul adfirmabis, iniquum esse CAR. MOLINAEVUM x), et hoc paulo audaciorum CHRIST. THOMASIVUM y), quorum ille nostrum rescriptum iniustitiae, hic cerebrinae aequitatis accusat. Scilicet ita ingredi solent, quum quaedam ipsis falsa aut absurda videntur. Mihi saltem beati viri hanc doctrinam ita attigisse videntur ut, plane non attigisse, praestaret, nondumque constitui, ridere, an miserari magis debeam iudicium temerarium?

IV

Inquiritur, an et emtor contractus rescissionem petere possit, si pretium dimidio veri pretii non respondeat.

De eo, video, ambigi, an solus venditor rescissionem perfectae emtionis et venditionis petere queat, si pretium solum dimidio veri pretii non respondet? an vero adfirmandum sit, et emtorem tali iure gaudere? Si recitata

- x) MOLINAEVUS *Tr. de comm. et usur. Q. XIV.*
 y) THOMASIVUS *diff. de acquit. cerebr. L. 2. de rescind. vendit.*
 Harum criminatum vindex acerrimus existit IOH.

GOTTFR. SCHAVMBURGIUS
in diff. de fundam. iuris naturae et gentium de obseru. atqual. inter rem et pretium in contr. oneros.

ta codicilli caesarei verba ponderamus: loquuntur DIOCLE-
TIANVS ET MAXIMIANVS non nisi de *venditore laeso*. Quid igitur
mirum, si videas, IAC. CUIACIUM z), ANT. FABRVM
a), HVG. GROTIUM b), EDM. MERILLIVM c), aliosque
hilarioris fama viros, verbis rescripti paulo pressius infi-
stere, sique, eosdem contendere, audias, emptori, quamuis se
ultra dimidium iusti pretii circumscriptum conqueratur,
non succurrendum esse beneficio huius rescripti.

At, quod pace tantorum virorum dixero, errorem
fouent. Quare plus apud me valet, et valebit semper au-
thoritas IOH. ROBERTI d), HENR. COCCEII e), ANT.
MERENDAE f), AD. WOLF. LAVTERBACHII g), IOH.
IAC. WISSENBACHII h), qui, quod laetor, in contrari-
um iuerunt. Equidem probe scio regulam, ab optimis iu-
ris interpretibus datam, quae vetat, quo minus in rescrip-
tis aut decretis admittamus interpretationis laxitatem, aut
etiam a contrario vel consequentia, quod peti solet, argu-
mentum i). Quare cum iis, quorum sententiae subscribo,

C non

- | | |
|--|---|
| z) CUIACIUS <i>Obs. L. VI. C. XIII. et L. XXIII. C. XXXII.</i> | f) ANT. MERENDA <i>in Controv. Iur. L. I. C. 36.</i> |
| a) FABER <i>Errorib. Pragm. Dec. VIII. c. 7.</i> | g) LAVTERBACHIVS <i>Coll. th. pr. tit. de resc. vendit. §. 23.</i> |
| b) GROTIUS <i>Florib. spars. ad L. 2. de resc. vend.</i> | h) WISSENBACHIVS <i>Comm. in Cod. L. IV. Tit. XLVI.</i> |
| c) MERILLIVS <i>L. II. variant. C. V.</i> | i) Vid. praeter CH. HENR. ECKHARDI <i>Hermeneut. Iur. C. V. §. CCXXI</i> , BERNH. HENR. REINOLDI <i>diff. de usu inscript. §. 13.</i> Quae inuenitur in <i>Ippius</i> |
| d) ROBERTVS <i>Animad. L. II. C. 13.</i> | |
| e) COCCEIVS <i>Iure Controv. tit. de rescind. vendit. Qu. 7.</i> | |

non dixerim, emtorem, de quo sermo, et vel ea propter dignum beneficio rescripi saepius memorati, partim quod maxima intercederet affinitas inter emtorem ac venditorem laesum, partim quod aequè humanum foret, si emtori, ratione pretii laeso, succurramus, ac si venditori circumscripto indulgeamus, ut, restituto pretio, recipiat fundum venundatum. Dum ergo hanc rationem non satis tutam esse praeuideo: videam potius, an aliam inuestigare possim viam, qua tuto consistere liceat? Scias primo velim, veteres in emtionibus appellationes promiscue adhibuisse k). Quibus, nescio, an addam, quod et in aliis textibus, in quibus contrahentibus in hoc succurri conspiciamus, ut rescindatur contractus, tantummodo mentio fiat venditoris l), quum tamen in iisdem etiam sisti potuerit emtor. Exempli loco venditoris mentionem iniiciunt iuris auctores. Dispositio autem ad vtrumque pertinet, emtorque aequè dignus ac venditor, qui rescindat contractum, quo deprehenditur circumscriptio. Quid obstat, quo minus idem adfirmemus de specie obuia in nostro rescripto? Nihil, ut ego quidem arbitror. Accedit et hoc, quod Imperatores lege regia, et per Tribuniciam potestatem, acceperunt ius prouocandi, ac hoc nomine sibi iurisdictionem arrogarunt. Inde factum, vt a cuiuscunque conditionis hominibus, etiam interdum a seruis ac ancil-

opusc. cura I. F. IVGLERI, editis p. 549.

k) L. q. D. de act. emt.

l) L. i. §. ii. C. de resc. vend.

ancillis consulerentur. Inde euulgarunt rescripta ad certa facta oblatis libellis narrata m). Num vero crederes, Imperatores, dum rescribebant ad causas et facta ipsis relata tam precibus quam libellis, voluisse, vt alii cuidam personae, de qua non erant diserte rogati, non similis exhiberetur humanitas, qua illi dignatos se esse laetantur, quorum mentio facta erat in libellis oblatis, ac emissis ea propter rescriptis? Ego non crediderim. Quare, vt idem etiam de nostro rescripto adfirmes, volo. Licet libellum, cui subscribebant optimi principes, ad nos non transmiserit incuria dicam, an oscitantia TRIBONIANI: tamen e verbis rescripti nostri, modo ea paulo curiosius inspicias, conicere licet, DIOCLETIANVM ET MAXIMIANVM interrogatos fuisse a quodam Lupo, an venditio rescindenda, si venditor ultra dimidium iusti pretii esset circumscriptus? Quid ad haec Imperatores? Iphis placuit, edicere, vt talis venditor, restituto pretio, reciperet fundum venundatum. Non ambigendum, quin iidem, si de emtore eadem ratione circumscripto fuissent interrogati, et huic indulgissent ius impetrandi rescissionem emtionis. Argumentum hoc non contemnendum vt eo validius euaderet: adposuisse, iuuabit, fulcimentum e nostro rescripto defumendum. Meminit rescriptum *distractae rei ma-*

C 2 *ioris*

m) Vid. praeter BARN. BRISONIVM *de verbor. significat.* VOC. adnotatio, ANT. SCHVL. TINGII *diff. pro rescrip. Imp.*

f. 2. Inuenitur in *Eius comment. acad.*, quas inuicem editit I. L. VHLIVS p. 163.

oris pretii, et fundi venundati, non vero aliarum rerum mobilium. Id ea propter factum, quod Lupus fundi venundati tantum meminerat in libello. Nullus dubito, quin et de mancipio, equo, vino aut frumento, praesertim in maiori quantitate venditis, et de aliis rebus respondissent, si de his quoque consulti fuissent, pari in omnibus ratione n).

Obiiciunt secus sentientes, esse aliam venditoris, aliam emtoris conditionem. Aequitatem suadere, ut subveniamus venditori, qui minoris vendidit, quem plerumque necessitas rei familiaris compellit, vendere minoris. Non succurrendum emtori, vltro accedenti ad emtionem praedii, saepe fraudandi causa, et plerumque emendi pretio immenso et immodico, affectione opportunitatis, vel vicinitatis, vel coeli, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti, vel quod maiorum eius fuerit, qua cupiditate accensus vltro proiicit saepe ingentia et immensa pretia, quod calorem vocant, alii insaniam, alii stultitiam. Ita **EVIANVS**. Ita et alii, qui illum sequuntur, iuris interpretes. At frustra. Ut enim non dicam, interdum modo haec ita se habere: interdum vero adesse emtorem, qui
Dio-

n) Inde quod de re immobili in rescripto nostro edixerunt **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS**: idem etiam in mobili admittendum esse, dicunt **DOM. ARVMAEVS** *diff. II. ad*

L. 2. C. de resc. vend. **ROBERTVS** *l. c. C. XI.* **HENR. HAHN-
NIVS** *de laesione ultra dimidi-
um, eiusque correctione, §.*
47.

Diomedea necessitate impulsus fundum emit; interdum etiam deprehendi venditorem, fastu diuitem, non nisi pretio immodico vendentem. Id vero dicam, dubium, quod secus sentientes obiiciunt, continere fallaciam non causae, ut causae. Dicite quaeso, in quonam consistat causa iuris singularis in nostro rescripto venditori laeso indulti? An in eo, quod emtor dives et venditor pauper? Erratis. In laesione pretii. Id ostendunt verba rescripti *minoris disfracxit*. Si ergo causa huius in memorato rescripto constituti iuris quaerenda est in laesione enormi: quare non, si emtorem offendimus laesum ratione pretii, aequè hunc ac venditorem iuuaremus. Humanitas id exposcit. Venditor dimidium veri pretii accipiens sibi imputet damnum e tali distractione oriundum. Nam praesumptio adest, ipsum habuisse notitiam valoris rei alienatae. At emtori nil tale potest imputari. Ignorantia enim in factis et rebus alienis nunquam praesumitur o). Par est utriusque conditio. Par utriusque difficultas pretium e vero constituendi. Iisdem errandi periculis subiectus emtor, quibus expositus venditor. Hic optat magni vendere: ille parui emere iuxta illud p),

Sa. *Vin tu bene emere? Do. Vin tu pulbre vendere?*

To. *Ego scio utrumque velle.*

C 3

V. In-

o) L. 5. D. pro suo.

p) PLAVTVS in *Perfa Act.* 4.

Scen. 4.

V.

*Inquiritur, quae momenta circa aestimationem huius
laesionis considerari debeant.*

Audio, te quaerere, qua ratione aestimari debeat laesio
enormis, venditionis rescissionem pariens. Circa hanc
quaestionem duo, opinor, momenta consideranda sunt.
Videlicet videndum primo est, laesio enormis e quo tem-
pore fit metienda? deinde quo modo ea intuitu tam ven-
ditoris, quam emtoris laesi debeat aestimari?

Quo omnem ambiguitatem tollam: in limine statim
descriptionem de pretio, ac de laesione enormi dabo.
Pretium ita cum Praefide huius dissertationis liceat descri-
bere q), quod sit proportio quaedam arbitraria moralis
rerum et actionum in commercium venientium, secundum
quam illae comparari possunt. Ergo etiam laesio enor-
mis tunc adest, quando quis non recipit dimidium eius,
quod datum est. Quum vero pretia rerum mox augeantur,
mox diminuantur: iudicium de eo, an adsit laesio
venditionis rescissionem pariens, ferre non poteris, ni
curate oculos aduertas ad istud pretium, quod res vendi-
ta ea temporis periodo habuit, qua nascebatur contractus
venditionis. Eatenus enim vna quaeuis res in obligatio-
nem deducta censetur: quatenus tunc fuit, quum adole-
sce-

q) Vid. ALB. PHIL. FRICKII *titio legali*, S. I. §. 2.
diff. de nummor. atque rer. pre-

feret obligatio. Non mirum igitur, quod DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS hoc tempus spectari iusserunt r). Caeterum putarem, quod hoc non praecise de die contractus, sed cum quadam latitudine sit intelligendum, ita, ut breue aliquod temporis intervallum non attendatur.

Alterum momentum, si ratione venditoris laesi id intuearis, caret omni difficultate. Quum enim doctores in verba rescripti nostri, *minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars (veri) pretii soluta sit*, inciderint: omnes, quod scio, adfirmant, laesionem ex mente rescripti enormem adesse, quando venditor imprudenter rem duplo minoris vendiderat, quam valebat. Inde si fundi pretium essent centum aurei, ac emtor numeraret quinquaginta: venditor non posset confugere ad actionem, qua venditio perfecta ob enormem laesionem rescindi potest. Secus vero res se haberet, quando emtor tantum quadraginta nouem et sic nec dimidiam partem soluerat. At ingens adest ratione emtoris discordia. Existimarunt FRANC. DVARENVS f), GEORG. FRANTZKIVS t), IVST. MEIERVS u), IO. FRID. POLACKI-

- r) *L. 8. C. de rescind. vend.* De probatione laesionis enolvas
 GEORG. STRUBENII *Rechtl. Bedenken T. III. n. 8.*
 f) DVARENVS ad *L. 36. D. de V. O. p. 740. Op.*
 t) FRANTZKIVS *Resol. Iur. L. III. ref. III. n. 14.*
 u) MEIERVS *Coll. Iur. Arg. tit. de resc. vend. ib. 6.*

CKIVS W), IOH. SCHILTERVS X), HENR. HAHNIVS Y),
 ANT. PERETZIVS Z), tunc de emtore dici posse, quod
 sit laesus, si pro fundo digno centum soluerit plus ac du-
 centos aureos. Putant id et alii. Non inique iudicant,
 qui huic sententiae subscribunt. Vt ita sentiam, me
 iura mouent. Rescriptum meminit solius venditoris
 laesi. Hoc ad emtorem vis extendi. Recte. Ergo opus,
 vt eandem in emtore laeso teneas proportionem, quam
 leges exigunt in venditore. Intellexisti, quando mea
 opinione adfirmari possit de venditore, quod sit laesus.
 Eodem iure et emtor laesus dicendus erit, si is accipit
 rem, subsistentem intra dimidium pretii, quod soluebat.
 Quod enim in venditore laeso est res, quam tradidit; id
 in emtore laeso pretium, quod numerabat. Quod in ven-
 ditore pretium, quod accipit; id in emtore res, quae
 ipsi traditur. Sed turbarunt hanc doctrinam glossatores.
 Ac, quod mireris, glossatorum vestigijs incedunt DA V.
 MEVIVS a) et perill. IOH. AD. L. B. ab ICKSTADT b), atque
 contendunt, emtorem enormiter laesum tunc adesse, si
 rem emerit pretio iustum pretium continente, et insuper
 plus

w) POLACKIVS in *Mathesi sorenf.*,
 S. VIII., §. 90 sq.

x) SCHILTERVS *Exerc. ad D.*
 3^o §. 94 sq.

y) HAHNIVS ad WESENBEC-
 CIVM *tit. de resc. vendit. n. 6.*

z) PERETZIVS *Com. in C. tit.*

de resc. vend. n. 8.

a) MEVIVS P. VI. Dec. CCXXIII.

b) ICKSTADT *de laesione enor-
 mi in contractu emt. venditio-
 nis recte computanda.* Terti-
 um locum habet in IPSIVS
Opuscul. T. I.

plus dimidio iusti pretii, v. c. si rem valentem C. emerit CL. Si quid iudico: turbavit dissentientes, quod rescriptum nostrum tantum mentionem faciat pretii *minoris dimidia parte iusti pretii*. Vnde sic induxerunt, *si minus dimidia parte iusti pretii* venditorem facit enormiter laesum: sequitur, quod *maius dimidia eiusdem parte* emptorem enormiter laesum faciat. Quid reponam? nihil, nisi hoc, male ita rationes subduci a memoratis duumviris. Mihi, et quod laetor, nec aliis ferenda videtur haec interpretatio. Vnicum saltem ea propter excitabo testem, sed principem et classicum. Est is P^{ET}R^{VS} de T^{OV}L^LI^{EV} c), qui vim allati argumenti his verbis infringere satagebat. *At ea non sunt paria. Pretii fit mentio infra dimidium iusti valoris dati, quia de venditore agitur rem tradente, accipiente pretium. Si de emptore agamus, accipiente rem, numerante pretium, mutandi sunt termini: et dicendum, esse laesum, si res, quam accipit, infra dimidium sit, non iusti pretii (neque enim potest) sed summae, quam numeravit venditori: siue ut regula fiat ex mente legis ad utrumque simul pertinens, i a dicendum est: ille est laesus enormiter, siue emptor sit siue venditor, qui eius, quod accipit, dedit plus duplo: eius, quod dedit, accepit minus dimidio. Venditor qui accepit 100 pro re valente 201. Emptor qui*

D

dedit

c) P^{ET}R. de T^{OV}L^LI^{EV} diff de Vsu L. 2. C. de resc. vendit. re alien. vel extincta §. 8. In-

serta legitur EIVSDEM Colle-
ctan. p. 333.

dedit (non 171. sed 201.) pro re valente 100. Sic omnia erunt paria, aequa, iusta: et valebit, ut ait Cicero in Topic. aequitas, quae paribus causis paria iura dicitur. Verba vtut longiuscula PETRI de TOVLLIEY ideo adscripsi, quod videbam, nullum plura requisiturum, sed omnem ipsi scrupulum, quem daumviri laudati subiiciebant, facile iri exemtum.

VI

Ob laesionem enormem nec conditione ex lege, nec remedio restitutionis in integrum, sed actione ex emtionis et venditionis contractu oriunda agi potest ad venditionem rescindendam.

Saepius quidem memini beneficii, contrahentibus, ratione pretii deceptis, laudato rescripto indulti, nulla tamen mentione facta actionis, qua ea propter vtendum est. Quare inquiri, tanto magis opus erit, genus actionis instituendae: quanto maior utilitas e cognitione accuratiori huius actionis in illos redundat, quos pudet, cruda studia in forum propellere. Magnas inter iureconsultos discordias peperit quaestio, qua actione is vti debeat, qui quaerit, quod pretium non respondeat dimidio iusti pretii?

Videlicet AR. PINELLVS d), VDAER. ZOESIVS e).
CASP.

d) Vid. AR. PINELLI *Comm. ad L. II. C. de resc. vendit. P. I. C. III. n. 9.* e) ZOESIVS *Comm. ad dig. tit. de resc. vendit. n. 36.*

CASP. ZIEGLERVS f), FRANC. VAL. de HAVER g), HENN. HAMMELIVS h), I. AVG. HELLFELDIVS i) alii- que fatagerunt, vt persuaderent lectoribus, conditionem ex lege instituendam esse. Deprehenderentur namque, si conditionem e verbis huius rescripti institueres, omnia requisita, e quibus oriri soletur conditio ex lege k). Quae tamen ratio, si verum fateri volumus, falsa est. Nam deest hic noua quaedam obligatio, qua tamen opus in conditione ex lege. Quem insuper fugit, conditionem ex lege esse stricti iuris l)? Veniunt vero in hoc iudicium super laesionem ortum fructus ab emtore interim percepti. Cessat insuper conditio, si actione ex ipso contractu oriunda, seu sit in nostra specie, vt possumus.

Fuerunt, ne tenebriones excitem, fuerunt REIN. BACHOVIVS m), VLR. HVNNIVS n), SAM. STRYCKIVS o) in ea opinione, vt, officio iudicis implorando, putarent per restitutionem in integrum rescindi venditionem. Ne alios, qui cum ipsis non consentiebant, exhibilare viderentur, argumentis decertant, ac vrgent inprimis verba rescripti, *humanum est; auctoritate iudi-*

D 2 cis.

- | | |
|---|---|
| f) ZIEGLERVS in <i>diff. de laesion. vltra dimid. §. 24.</i> | k) L. vn. D. de <i>condict. ex leg.</i> |
| g) E. V. de HAVER in <i>memor. action. et interdicit. P. I. p. 197.</i> | l) §. 28. l. de <i>action.</i> |
| h) HAMMELIVS <i>Comm. in tit. de act. C. X.</i> | m) BACHOV. <i>ad Treutl. Vol. II. Diff. II. ib. IX. lit. C.</i> |
| i) HELLFELDIVS <i>iurispr. fo. renf. §. 1029.</i> | n) HVNNIVS <i>Resol. Inst. L. III. Tr. III. qu. 16.</i> |
| | o) STRYCKIVS <i>Vsu modern. tit. de rest. in integ. §. 2.</i> |

ci. Quae loquendi formulae, ex ipsorum doctrina, iudicis officium arguerent, et restitutioni in integrum conuenirent. Urgent haec verba male, ne dicam pessime. Quum ea enim in rescripto nostro referri, videas, ad iudicem: non erraueris contendens, quod respiciant exactionem facti. Inui iis, mihi persuadeo, iudicis officium actioni institutae deseruiens, ita, vt, laesione ultra dimidium probata, damnet reum, ad res alienatas, pretio villiori recepto, restituendas. Non omnia insuper, quae ex humanitate fluunt, indigent remedio, extra ordinem introducto, restitutionis in integrum, sed potius actione, e contractu descendente, experiendum est. Nec debet tribui auxilium extraordinarium, si quis communi auxilio, ac iure mero munitus est. Si tandem venditio, de qua loquimur, potuisset rescindi beneficio restitutionis in integrum: inanem me hercule! laborem suscepissent Imperatores nostri rescripto hoc emittendo. Deceptus enim, quis neget? ilicer adire potuisset tribunal Praetoris, qui ob clausulam generalem edicto adiectam, si qua alia causa, officium suum interposuisset rescindenda eiusce generis venditione.

In hoc sententiarum diuortio cui nos subscribamus? Quum nullus probare soleam antiquum illud, non liquet: rescissionem petendam esse, opinor, actione ex ipso emtionis et venditionis contractu oriunda. Si venditor laesus: aget ex vendito. Sin emtor: ex emto. Me quidem
non

non fugit, finem harum actionum esse, ut impleatur contractus. Ita quidem se res habet ordinarie. At quum meminerim, DIOCLETIANVM ET MAXIMIANVM rescripisse, actionem venditi *non facile* competere ad rescindendam venditionem p): ipsos agnouisse, fatendum est, ut quandoque quis uti posset hac actione ad rescindendam venditionem. Num vero melior ansa, hac actione utendi, sese offerret, atque tunc, si laesio enormis deprehenditur? Vix crediderim. Quis insuper nescit, id, quod est contra bonam fidem in contractibus bonae fidei, corrigi actionibus ex isto contractu descendentibus q)? Firmatur insuper nostra sententia et vel exinde, quod redhibitio etiam contineatur emti iudicio r). Vtitur actione emti actor ob vitium vel celatum, vel promissum non praestitum s). Vtitur venditor actione venditi ad recipiendum, quod venditae rei accessit t), licet ob eandem causam ei etiam detur redhibitoria actio u) edicto Aedilium introducta. Sicuti vero ad redhibitionem, qua tamen resolui, constat, contractus, agi possumus actionibus ex ipso contractu descendentibus: quidni eodem iudicio experiamur, si litigium oriatur ob pretium continens laesionem enormem? Adest fatim in allata specie redhibitionis species.

D 3

VII. Li

p) L. 6. C. de act. emt. vend.

f) L. 19. §. 2. de aedil. edicto.

q) Arg. L. 79. D. pro socio.

t) L. 23. D. de aedil. ed.

r) L. 3. §. 3. de act. emt. vend.

u) L. 31. §. 19. D. cod. tit.

13.

VII

Libellum actionis ob enormem laesionem institutundae non disiunctive concipiendum esse, docetur e verbis L. 2. C. de rescind. vendit.

Si interrogas IOH. HENR. a BERGER W), QVIR. SCHACHERVM X), IOH. NIC. HERTIVM Y), LVDERVM Z) et GOTTL. LVDOV. MENCKENIOS a) CHR. GOTTL. HOMMELIVM b); si his iungis iuris canonici interpretes, puta EMM. GONZALEZ TELLEZ c), EVSEB. AMORT d), LVDE. ENGELIVM e), HENR. LINCKIVM f), eosque interrogas, an petitum actionis ob laesionem enormem institutundae disiunctive concipi debeat: docere illos, audies, opus esse, vt actor petat vel rem restitui, vel suppleri id, quod vero pretio deest. At quum inde ab eo tempore, quo sacra Themidos colere coepi, ille mihi

w) BERGER. *Oecon. iuris* L. III. T. V §. XVIII. not. g.

x) SCHACHERI *Coll. pract. tit. de resc. vend. iungas. si placet* I. G. CLADENII *diff. de iure debitor. circa electionem in causis alternatiuis* §. II.

y) HERTIVS *diff. de elect. ex obligat. alternat. debitori debita* S. I. §. 3. in op. T. I.

z) L. MENCKENIOS *in Syst. digesti. tit. de resc. vendit.* §. 1.

a) G. L. MENCKENIOS *in doctrin. de action. C. Spec.* S. II.

C. II. M. VI. §. 62. ex editione legitima ill. MADIHN.

b) HOMMELIVS *in emendat. ad STRYCKII tr. de action. forens.* p. 120.

c) GONZALEZ TELLEZ *Comm. ad decret. T. III. T. XVII.* p. 281.

d) AMORT *Iur. Can. vet. et modern.* L. III. T. XVII. §. 1.

e) ENGEL *Coll. iur. vniu. can.* L. III. T. XVII n. II.

f) LINCKIVS *Comm. ad decret. tit. de em. et ven. lit.* §. 3.

mihî animus infederit, vt in nullius hominis, sed in rationis ac legum verba iurarem: non potui impetrare ab animo meo, vt subscriberem doctrinae tantorum virorum. Nec difficultates ea propter obiectas pertimesco, nec vadimonium deferendum arbitror, licet dubio procul

- - - clameat, periisse pudorem,
*Cuncti pene patres: ea quum reprehendere conor,
 Quae grauis Aesopus, quae doctus Roscius egit,
 Vel quis nil rectum, nisi quod placuit mihi, dicunt.*

Pro stabilienda mea sententia rationem me eo inuenisse, iam inquit fortaſſe nonnulli, quod in alma Germania quouis tempore creditum ſit, libellum diſiunctiuum, liceat eum ita nominare cum antiquis g), oppugnari poſſe exceptione inepti libelli, ac ea propter petitum diſiunctiuum hic exulare, quoniam iuſto citius dicta exceptione poſſet infringi. Salebroſa profeſto via incederemus, ac victas manus fecus ſentientibus daremus, quando non aliud, ac hoc ruinoſum fundamentum adeſſet, in quo quieſceret ſententia noſtra. Conſtat enim, doctores, qui regulae, libellum alternatiuum tanquam ineptum reiiciendum, mordicus inhaerent, more maiorum conglomerare exceptiones infinitas, quae regulam plane deſtruunt h).

Ratio-

g) Vid. STRAVCHIVM *Ex. VI.*
ad 50. dec. C. 1 n. 20.

h) Ita IOH. BERLICHIVS *P. I.*
concl. 12. XVII. refert ſpecies,

quibus admittit alternatiuum. H. V. HVNNIVS *Encyclop. P. II. t. IX c. 2. n. 10. ſeq.*
 ſiſtit IX. exceptiones. BERN-

Rationes proin alias genuiores quaesivisse e re nostra erit. Scias igitur velim, petitem libelli, mea quidem opinione, tunc demum disiunctivae concipiendum esse, si adest obligatio disiunctiva oriunda aut ex legum, aut hominis dispositione. Sicuti vero obligationis nomine venit necessitas a lege aut mediate, aut immediate imposita aliquid praestandi, omittendi, patiendi: ita etiam disiunctiva obligatio tunc adest, qua plus vno debetur, at non nisi vnum exigere potest. Nimirum indoles disiunctivae obligationis eo absoluitur, ut vtrumque quidem sit aequè principaliter in obligatione, at eorum alterutrum tantummodo in solutione. Quare non adest disiunctiva obligatio, si vnum modo principaliter sit in obligatione, licet caeteroquin debitori seu reo iura indulgeant, ut non id, quod alter instituta actione petierat, praestet, sed alia redanda liberetur ab eo, ad quod praestandum principaliter obstrictus tenebatur. Sed quorsum haec omnia? quorsum? Eo scilicet, ut pateat, idem, quod generatim de obligatione disiunctiva attuli, tunc etiam dici debere, si quis ratione pretii se enormiter laesum dolet. Aiunt enim in rescripto saepius memorato **DIOCLETIANVS** et **MAXIMIANVS** *rem maioris pretii, si tu, vel pater tuus, minoris distraxerit, humanum est, ut pretium te restituente emtoribus fundum venundatum recipias auctoritate iudicis.* Quae periodus, luce licet clarior, dici vix potest, quantum obscurata sit interpretum commentariis. Quisquis illam

HARDVS GRAEVEN ad *Gail. VII.* refert.

illam animo haud praeoccupato perlegerit: continuo intel-
 ligit, Imperatores agnouisse non existentiam, in no-
 stra specie, obligationis disiunctivae. Verba, *fundum ve-*
rundatum recipias, satis indicant, voluisse Imperatores,
 ut, quod in obligatione seu debito erat, venditor actio-
 ne instituenda peteret, puta rescissionem venditionis. Ta-
 li petito, ex legislatorum voluntate, non adiciendae
 preces hae, aut ut, si venditio non rescinderetur, suppleri
 ab emtore id debeat, quod deesset iusto pretio. At in allata
 specie maiestas imperatoria ne quidem disiunctivam red-
 dere potuit obligationem; quae quippe ipsi emtionis ven-
 ditionis naturae quam maxime aduersatur. Quum enim
 tacita cuius venditioni subsit exceptio, si haec ita erunt:
 necesse est, ut totum venditionis negotium concidat, si in
 illud error, licet ex incuria, ratione pretii incidit. In-
 iuriam lege non permissam committeres, quando vendi-
 tori, ignaro iustum pretium, denegares actionem hanc
 tendentem ad venditionis rescissionem. Si in mentem re-
 uocas, quae generatim de indole obligationis disiuncti-
 vae protuli: fatearis, opus est, in nostra specie obliga-
 tionem simplicem de restituenda re non degenerare in
 disiunctivam, licet sub finem codicilli caesarei adiectum
 sit, *vel si elegerit, quod deest iusto pretio, recipias*. At quan-
 tum, ita te interrogare audio, quantum quaeso suppleri
 debet ab emtore, si aditum patefactum rescindendae ven-
 ditionis intercludere animo gestit? Non vna omnium de

E

hac

hac quaestione sententia. Ita enim, si tibi hortum X. aureis dignum IV. vendidero, satis esse, FRANC. CONNANVS i) docuit, ut a petenda rescissione excluderem, si tu supplendi pretii gratia unicum aureum adiceres, cuius accessione dimidium veri pretii adesset. Nam quum lex distrahi venditionem non fineret, si ab initio emtor V. numerasset: aequum esset ex postfacto vnus nummi ad IV. additione tueri venditionem. Hanc subtiliter excogitatam doctrinam iam alii reiecerunt k). Et ego, si intueor verba rescripti, non sufficere, arbitror, quod emtor pretium suppleat vsque ad eam quantitatem, quae ab initio venditionem firmam reddidisset, sed vsque ad *iustum pretium*, id est, quanti res valet communi hominum aestimatione, non venditoris cupiditate. Optet emtor vel rescindi venditionem, vel verum et iustum pretium inferat! Cur vero emtori tale optionis ius indulgetur? cur non potius venditori? Id ea propter factum esse, opinor, quia is venditoris voluntate nanciscatur dominium rei, ipsi proin non facile auferendum. Accedit et hoc, quod, si quid vitii conspicitur in tali negotio, id non tam in contractu later, quam potius in pretio, quod autem praestat emtor, non venditor. Sicuti caeterum

i) CONNANVS *Comm. iur. civ.*
L. III. C. IX. n. 15.

k) Euolaas, ut alios taceam,
GVIL. FORNERII *Selsk. L.*

II. C. XIX. Inueniuntur in EV.
OTTONIS *Thes. iur. civ. T. II.*
Ratiar. sub initium.

rum ab humanitate proficiscitur venditionis rescissio, quando pretium acceptum non responder dimidio iusti pretii: ita ex eodem fonte fluit ius variandi, emtori verbis rescripti abs me illustratis indultum. Cessant saltim quaerimoniae alioquin metuendae: dum emtori in iudicium vocato concessa est electio, eaque, ut videtur, ex veterum pandectarum iure 1) desumpta, malitne id, quod deest iusto pretio, supplere? an vero, quod actionis aduersus ipsum institutae finis erat, recedere a venditionis contractu?

VIII

*Uterior eiusdem rei probatio adducitur ex L. 8. C.
de rescind. vend.*

Ne falsam mentem nos affingere, dicas, DIOCLE-
TIANO ET MAXIMIANO: ad aliud rescriptum, quo ii-
dem plenius eandem quaestionem definiuerunt, recurra-
mus, indeque, quod illustrandae nostrae causae inferui-
at, repetamus. Edicunt ita m),

*Si voluntate tua fundum tuum filius tuus venundedit,
dolus ex calliditate atque insidiis emptoris argui debet,
vel metus mortis vel cruciatus corporis imminens detegi,
ne babeatur rata venditio. Hoc enim solum, quod paulo
minore pretio fundum venditum significas, ad rescindendam*

E 2

1) L. 12 et 13 D. si quid in frau- de iure dotium.
dem patronorum. L. 12. §. 1. D. m) L. 8. C. de rescind. vendit.

venditionem inualidum est. Quod si videlicet contractus emptionis atque venditionis cogitasses substantiam, et quod emptor viliori comparandi, venditor cariori detrabendi votum gerentes ad hanc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo, quod petierat detrabente, emptore autem huic, quod obtulerat, addente, ad certum consentiant pretium: profecto perspiceres, neque bonam fidem, quae emtionis atque venditionis conventionem tuetur, pati, neque ullam rationem concedere, rescindi propter hoc consensu finitum contractum, vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem: nisi minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset, electione (iam) emptori praestita seruanda.

Quo tenorem huius rescripti eo melius noscere queas: eruamus quaeſo speciem decisam his codicillis. Filius, consentiente patre, vendiderat fundum pro paruo pretio. Vult pater rescindi venditionem. Quaeritur, an possit? Negant DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS. Iungunt iustis rationes impediennes rescissionem. Quid? quod addunt exceptionem, cuius vigore rescindendae venditioni tunc venditor instituenda actione insistere possit, si nimirum *minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum fuisset.* En inuictam vim veritatis! En bonam profecto exceptionem, qua, dici vix potest, quantum iuuerur nostra causa! Voluntne vero legumlatores, qui, ad venditionis rescissionem sufficere, dicunt,

dicunt, si minus dimidia iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset, voluntne, inquam, ut petitum libelli disiunctiue concipiatur, ita, ut aut reus pretium ad aequalitatem redigar, aut, si id facere nolit, venditio dissoluatur? Equidem vix crediderim: quippe qui compertum habeo, voculam, qua videntur, *rescindi* denotare euersionem totius conuentionis, quae alias iure legitimo valet, non quae ipso iure nulla est n). Petitur igitur libelli contrarium esset voluntati caesareae, quando non simpliciter ad venditionem rescindendam tenderet, sed potius conciperetur disiunctiue. Quaeris, quae quaeso ratio, quare tantummodo petito actionis instituendae insistendum venditioni rescindendae, si vel venditor minus pretium accepit pro re, quae pluris aestimatur; vel si emptor, pro soluto pretio rem minoris quantitatatis qualitatisue obtinuit? Tacuerunt hac de re legumlatores. Putarem, illam circumstantiis sequentibus latere. Qui pretio circumscriptus accedit ad tribunal Praetoris: is actionis fundamentum ponit in opinione, qua inductus credidit, rem fuisse vel minoris, vel maioris pretii. Se hinc deceptum, dicit libello oblato, seque proin non consensisse. Quum vero toties nil nisi negotii rescissionem desiderare possimus, quoties deficit consensus: inde fluit, et hic venditionis rescissionem esse unicum finem actionis instituendae, nec adiungi posse petitum alius pretii supplementi.

E 3

plen-

n) L. 4. C. de rescind. vend.

plendi, utpote hoc inniteretur consensu, nequaquam. vero aut defectu consensus, aut circumscriptione, quae tamen fundamentum est actionis in hac specie instituendae. Accedit et hoc, quod adest conventio consensu de pretio et merce perfecta, quin et res vtrinque tradita. Ergo qui rem iam emerat, ac pretium conuentum soluerat: is, ut pretio maiori denuo iam emeret, a venditore nulla ratione cogi potest. Dic vero, annon talis coactio, et ipsis legibus naturae aduersa, deprehenderetur, si petito de rescindenda venditione adiiceres aliud quoddam eo tendens, aut ut, si valor venditionis non infringeretur, iudex compelleret reum ad supplendum id, quod iusto pretio deest. At vult humanitas, permittitque, ut emtor, in iudicium vocatus, auctoritate iudicis, adigatur, rem minoris alienatam reddendi. Id quod, probata laesione enormi, auertere non poterit, si elogium iniusti usurpatoris euitare cupit. Vna tantum via reus restitutionem rei effugiet, puta si ipse volens lubensque adiicit, quod iusto pretio deest. Hoc ipsi, non actori indulgebant legumatores et in altero rescripto, quod in hac paragrapho recitauimus. Quare reus conuentus confugiat ad beneficium ipsi indultum, nec expectet, id ipsi ab actore suggeri in libello actionis instituendae. Quare tali electione reus concessa exul est in nostra specie obligatio disiunctiua. Quare tandem, ut exulet, opus est, in actione ob enormem laesionem instituenda petitum disiunctiue concipiendum.

VIII

*Sententia nostra et vel inde stabilitur, quod illius valorem
non infringit Cap III. X. de emt. vendit.*

Nondum in portu nauigamus. Nam multa formidine instant alii, ac dicunt, placitis iuris canonici, in foro vbique regnantis, non inconcussum mansisse vtrumque rescriptum **DIOCLETIANI** et **MAXIMIANI**; hinc nec admittendas rationes pro tuenda nostra sententia allatas, quamuis caeteroquin menti codicillorum caesarum ex asse congruere videantur. Frustra me hercule obiicitis placita iuris canonici! Frustra. Non tam spero, quam confido, fore, qui errorem agnoscat, si animo non praeoccupato perlegatis expositionem a vobis obiectorum capitulorum, quam, precor, fauente Lucina, iam daturus ero. Longiora autem sunt capituli, quo primum aduersarii vtuntur, verba, quam vt ea integra caperent dissertationis cancelli. Summa eorum, credas mihi, eo redit. Abbas quidam a canonicis eo nomine conueniebatur, quod in venditione syluae, ipsis insciis suscepta, vltra dimidium iusti pretii fuissent laesi. Qui ab **ALEXANDRO III.** Pontifice maximo dati erant, iudices delegati, laesione probata, nude pronuntiant, venditionem non tenere. Syluam canonicis actoribus adiudicant. Hos inducunt in possessionem. Viri religiosi, qui damnum hac sententia ipsis illatum sentiebant, implorant tribunal summum Pontificis de grauamine tollendo, quod ipsis iudices delegati intu-

intulissent. Audias responsum ALEXANDRI III. de hac re litigiosa datum. Ita sonat o).

Habita deliberatione cum fratribus nostris et aliis sapientibus viris, qui legibus iurati iudicant, eandem sententiam iuri contrariam intelleximus. Quia vero in arbitrio emptoris est, si velit, supplere iustum pretium, aut venditionem rescindere, cum res minus dimidia iusti pretii comparatur: sententiam ipsam, tanquam iuri contrariam, irritantes, possessionem monachis indicauimus esse reddendam, salua quaestione canonicis super deceptione pretii, vel consensu capituli in venditione non habito: et alia causa rationabili, quam canonici contra monachos duxerint proponendam.

Constat ex annalium monumentis p), viros, qui regnante ALEXANDRO III. auditores fuerunt rotae romanae, operam Bononiae dedisse iuri ciuili, et, quas hi auditores tulerunt, decisiones inniti plerumque principiis glossatorum, qui a cunctis literarum artiumque praefidiis, quae interpretandi facultatem instruunt, destituti erant: qui nationi criticae inimicissimi, nec modestissimum ferentes eruditum cum Hegione Plautino exclamabant q),

Abdu:

o) *Capit. III. X. de emt. et vendit.*

DI Hormen. Iur. C. VIII. §. 334.

p) Vid. CHR. WENR. ECKHAR-

q) *PLAUTVS in Captiu. Act. II. Sc. V.*

*Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Iubete huic crassas compedes impingier:*

qui proin sententias proferebant falsas, ineptas, vehementer ieiunas. Ex insicetis horum commentariis in decretales non pauca noua iura irrepserunt, quae a iuris ciuilibus ratione abhorrent. Possem proin auctoritatem obiecti capituli enersurus cum I. HENN. BOEHMERO r) adfirmare, decisiones in decretalibus obuias spernendas esse, si earum auctores errore et insicitia seducti a iure ciuili recesserunt. Possem cum eodem dicere, capitulum obiectum fuisse haustum e lacunis impuris, hinc illi nuntium dandum. Possem, a tanto viro quum mihi paratam videam tutelam, tutus superfedere repellendis dubiis, quae ad infligendam nostram causam proferuntur. Possem — sed id nullus faciam. Nam alia adest ratio, qua aduersariorum tela abs me auertere potero. Scilicet non meminit ALEXANDER III. in recitato capitulo ineptitudinis libelli, a canonicis oblato, quem proin ipse nec ratum habere posset, nec acceptum. Quid? quod petitum libelli a summo Pontifice haud reprobati non disiunctiue, sed simpliciter potius, ac rite tam circa laesionem enormem, quam circa nullitatem venditionis e defectu consensus canonicorum subortam, fuisse conceptum, et vel exinde elucet, quoniam iudices delegati, insistentes regulae, quae iubet, vt quaeuis sententia iudicis

F

esset

r) BOEHMERVS T. II. Exercit. XXVII. C. III. §. IV.

esset conformis libello, nude pronuntiauerant, *venditionem non tenere. Irritandam esse*, iussit quidem ALEXANDER III, *hanc sententiam tanquam iuri contrariam.* Num quae-
so id ea propter factum, quod Pontifex summus in ea opinione fuerat, tam libellum iudicibus delegatis oblatum, quam latam sententiam, conuenientem cum petito libelli non conuenire cum iure scripto caesareo, quod damnaret, sententiam talem pure conceptam, ac diiunctiuam potius exposceret. Minime. Si enim Pontifex summus; si fratres ipsius; si alii sapientes viri, in consilium adhibiti, id credidissent: non opus me hercule! fuisset declaratione alia, qua irritam reddidisset sententiam delegatorum iudicum. Nam et tunc iam valebat regula f), sententiam contra iuris tenorem latam nullitatis vitio laborare; nec, licet appellatione non esset suspensa, subsistere suo iure. Quidnam igitur his verbis comprehendere voluit ALEXANDER III.? In hac enim quaestione cardo rei versatur. Innuere, vt ego quidem arbitror, videntur, sententiam a iudicibus delegatis latam aduersam esse iuribus, quae monachi sylua emta nanciscebantur, hinc eo magis latam sententiam iudicum delegatorum tanquam irritam declarandam, quo certius alias esset t), eiusce generis sententiam iuri alicuius quaesito aduersam non ipso suo iure robur amittere, vimque suam

f) *Cap. I. X. de sent. et re iud.* t) *Cap. IX. X. cod. dic.*

suam. An vero ea propter irrita reddenda fuerat, quoniam illius tenor conueniebat cum libelli petito, nudam rescissionem venditionis exposcente? Nequequam. Eam potius ob causam irrita declarabatur sententia, quia iudices delegati post latam sententiam canonicis *syluam adiudicauerunt, eosque in possessionem syluae induxerunt*. Priuati inde erant, per executionem subitanam sententiae, monachi emtores electione ipsis iuxta ius caesareum competente, malintne resilire a contractu perfecto? an vero supplere, quod deerat iusto pretio? Id ipsum iniquum videbatur, et humanitati non conueniens, orbari monachos tali electione. Quare non mirum, quod ALEXANDER III. corrigi voluit talem sententiam, tanquam iuri quaesito Monachorum emtorum non conuenientem, quae talem indulti iuris priuationem contineret. Quae vero quam ita sint: veneremur ossa et cineres ALEXANDRI III, qui, tantum abest, vt quamuis sententiam, subito super laesionem enormem iudicio, pure et non disiunctiue conceptam emendari iusserit, vt potius correctionem modo sententiae in allata specie a iudicibus delegatis latae ea propter desideraret, quod insequuta in syluam inductio monachis emtoribus adimeret ius variandi, rescriptis DIOCLETIANI et MAXIMIANI introductum, et hoc ipso capitulo confirmatum. Vos, qui secus sentiebatis, audetisne et nunc asserere, ALEXANDRVM III. sustulisse vim atque robur codicillis caesareis, quibus in-

niti, docui, sententiam nostram. Dicite. Si hoc esset: vos omnium. — Sed reprimo me, ne indigna me proferam, licet vos digni sitis, qui audiatis.

X

*Idem illud statuendum esse, asseritur de Cap. VI. X.
de emt. vendit.*

Aut fallor, aut tibi fluctuanti, menteque ambigua, quo te conferres, circumspicienti occurrit aliud capitulum INNOCENTII III, quod te impedit, quo minus sententiae nostrae subscribas. Integrum capitulum vna cum inscriptione dignum est, quod feueriori subiiciamus examini. Huius est tenoris: u)

Venditor, deceptus ultra dimidiam iusti pretii, agere potest, ut res sibi, reddenti pretium acceptum, restituatur, vel iustum pretium suppleatur: et in hoc electio est emptoris.

Idem Episcopo et Archid. Vrbinateusi

(ann. 1208 Roma in Tusciam.)

Quum causa, quae inter oeconomum monasterii sancti Martini de Monte ex parte vna ac ciues Viterbienses ex altera, super casamentis vertebatur, fuisset aliquandiu ventilata, cum constitisset nobis, monasterium in venditione ultra dimidiam iusti pretii fuisse deceptum, sententionando decreuimus, ut praesati ciues aut, recepto pretio, possessiones resti-

u) Cap. VI. X. de emt. vendit.

restituere memoratas, aut supplerent, quantum constaret legitimæ venditionis tempore iusto pretio defuisse.

En sententiam INNOCENTII III., quæ nescit nudam damnationem rei restituendæ libus super enormem læsionem agitatis, et a qua ne latum quidem vnguem decedi non patitur reuerentia piæ memoriæ INNOCENTII III. debita! En ergo, ita secus sentientes acclamare audio, en legem, quæ infringit vires rescriptorum caesareorum, quibus innititur causa, cuius patrocinium suscepi! Parcant mihi manes INNOCENTII III., si ingenue fatear, nec hanc a summo Pontifice latam sententiam iuuare secus sentientes. Saepius mirari subit, quo iure aduersarii hoc capitulo vtantur, quum tamen nec vola nec vestigium in illius verbis recitatis, occurrat de noua lege detrahente vim atque robur iuri caesareo. Tulit modo INNOCENTIUS III. sententiam, eandemque disiunctiue conceptam aut de re restituenda, aut de læsione corrigenda, quæ ratione pretii deprehendebatur in causa eo tempore coram summo Pontificis tribunali agitata. Ignoratisne vero, qui in nostra castra transire religioni ducitis, ignoratisne regulam iuris, quæ vult, quod sententia inter alios lata aliis non præiudicare debeat w)? Nescio autem, num maius præiudicium iuri caesareo, eiusque auctoritati, inferri posset, atque tunc, si adfirmamus, sententiam rotæ romanæ tollere

F 3

vires

w) L. I. C. inter alios acta vel iudicata al. non nocere.

vires iuris caesarei. Et vel dupondii, qui nunquam iuris oceanum enavigarunt, sciunt, sententiam ius tantum facere inter partes, ni princeps ea sententia vel ius obscurum et ambiguum interpretetur x), vel eam ad similes species proferri diserte iubeat y). Magnus mihi eris Apollo, si ostendas, INNOCENTIVM III. aut interpretatum esse rescripta caesarea saepius memorata, aut eum diserte iussisse, vt, quae ab ipso disiunctiue lata erat, sententia et ad consequentias traheretur. Quamdiu talis probatio deficit: tamdiu manet suus honos et valor rescriptis caesareis, quae nesciunt sententias, et libellos disiunctiue concipiendos, si forte lites super laesionem enormem agitentur. Testes sunt IOACH. MYSINGERVS AFRVNDECK z) et ANDR. GAILIVS a), quod, licet sacerdotes iustitiae summi Imperii tribunalis libellosmitterent, quibus ob laesionem enormem tantummodo rei emtae restitutio peteretur, nihilominus tamen moris esset, condemnari reum, vt aut rem restituat, aut augeat pretium. An crederes, eiusce generis sententias adimere valorem iuri caesareo, nescienti obligationem talem disiunctiuam? Id adfirmare, erubescis. Quare nec habes rationem, cur tantam vim tribuere velles sententiae INNOCENTII III. Et haec quidem ad allatam obiectionem generatim respon-

x) L. 12. §. 1. C. de leg. et con-
stit.

y) L. 3. C. ibid.

z) MYSINGER AFRVNDECK

Obs. Cam. Cent. I. Obs. XLII.
n. 6.

a) GAILIVS Obs. pract. L. I.

Obs. LXII. n. 10.

spondisse, credo, sufficiet. Nam
*Cetera de genere hoc (adeo sunt multa) loquacem
 Delassare valent Fabium.*

XI

*Ex eo, quod petitum actionis nostrae non disiunctive concipi
 debeat, sequi, docetur, emtorem compelli non posse, ut augeat
 pretium, si res aut casu, aut culpa emtoris prius
 perierit, quam venditor laesus actionem
 instituerat.*

Ergo asserta, cuius patrocinium suscepi, sententia futuros esse, qui dicunt, parum, imo nihil referre, num petitum actionis ob laesionem enormem institendae disiunctive? an vero nude concipiatur, relicta reis electione, malintne ab emtionis et venditionis contractu resilire? an vero supplere id, quod non respondebat iusto pretio? Qui ita iudicant: digni sunt, ut, donec multum discriminis inter has duas propositiones intercedere discant, nauigent Anticyram. Ne vero scholae quidem, non autem vitae didicisse videar: docere, e re mea erit, quantum pendeat a doctrina, quam tueor. Ita ex hoc fonte limpido fluere, opinor, decisionem negatiue faciendam quaestionis multoties obmotae, an is, qui rem bona fide emit, pretium soluit, nullam suspicatus est laesionem, adeoque obligationis nullius sibi fuit conscius, an is, inquam, obstrictus sit supplere id, quod defuit vero ac iusto pretio,

re apud ipsum perempta aut casu quodam, aut culpa, quam dolus non comitabatur? Quum docuerim, eam esse mentem utriusque rescripti caesarei, ut venditor, enormiter laesus, libello nil nisi venditionis rescissionem petere queat: sequi inde, ecquis neget? re emta aut casu, aut culpa emtoris perempta nil superesse, ad quod praestandum emtor compelli queat. Pretium, quod augeri optat venditor laesus, non est in obligatione. Inde si venditor in pretio circumscriptus id exposcit: ob exceptionem plus petitionis caderet causa. Evanesceret autem metus litis amittendae, quando in alata specie adesset obligatio disiunctiva, ac proin libellus hunc in modum concipi posset. Negari insuper nequit, emtorem, de quo sermo, esse debitorem rei certae, quam venditor petere potest comperta laesione non qualibet, sed graviori, eaque dimidiam iusti pretii partem excedente. Scire hinc vellem, quo iure emtor compelli posset ad augendum rei peremptae pretium; utpote inter omnes constat, debitorem rei certae liberari interitu rei b). Et quam dura quaeso foret emtoris conditio, si is, perempta tali re, obstrictus teneretur ad supplendum id, quod iusto pretio defuit! Nullus profecto re emta ut sua, non dicam, abuti, sed nequidem uti posset. Summa potius cura et sollicitudine rem custodiret: siquidem alias quovis tempore immineret periculum pretii in duplici

b) L. 23. de verb. obligat.

plum eius, quod solutum est, supplendi. Si, quod ob suam humanitatem exosculor, rescriptum utrumque DIOCLETIANI ET MAXIMIANI veller, ut emtor, re peremta, augetet pretium: egomet primus id iniquitatis accusarem, illudque dignum iudicarem, quod non tam *Lupo* inscriberetur, quam potius a quodam *Lupo* emitteretur in lucem.

XII

Dubia fecus sentientium refelluntur.

At inculcant ANT. de PADILLA Y MENESES c), WOLFF. AD. LAUTERBACHIVS d), GOTTL. GERH. TITIVS e), et alii doctrina ac ingenio praestantes viri, eam esse emtionis et venditionis indolem, ut, si venditor esset enormiter laesus, obligaretur emtor vel ad pretium soluendum, vel ad rem restituendam: debitor autem seu emtor, ad duo alternatiue obligatus, non liberaretur vnus rei interitu, nedum alienatione, quin teneretur de altera obligatione. Ita aduersarii. In magno sane errore versantur. Nam obiecta thesis, emtorem ad duo alternatiue obligatum esse, dici meretur *περὶτον ψεῦδος*, seu, ut mitius cum dialecticis loquar, continet petitionem princi-

G p.ii.

- c) PADILLA Y MENESES *Comm. in quaed. rescript. Imper pag. 433.* *theor. pract. tit. de resc. vendit. §. 51.*
 d) LAUTERBACHIVS *Coll. eod.* *e) TITIVS not. ad Lauterbach. tit. eod.*

pii. Hinc adplausum non meretur conclusio, quam inde ducunt. Equidem largior, in obligatione disiunctiua nec alterius rei interitum, nec alienationem liberare debitorem, sed potius illius esse, vt praester, quod superest. At desidero talem obligationem disiunctiuam, quando vna tantum res creditori deberur, salua debitori sese, aliud quid praestando, liberandi facultate. Id ipsum vero de nostra specie omnino asseri debet. Adest simplex tantum et nuda obligatio. Quum enim, eam esse emtionis et venditionis indolem, probe noscerent DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS, vt e contractu agi duntaxat potuissent ad illum adimplendum, non vero rescindendum: hanc obligationem, emissis rescriptis, eo extendi voluerunt, vt, in allata specie, in pretio circumuentus ad rem restituendam agere posset. In hac ergo noua obligatione, quam contractus emtionis et venditionis hisce codicillis caesareis accepit, est res restituenda, nequaquam vero pretium augendum. Sicuti igitur, re vendita penes emtorem extante, inepte petis aut restitutionem rei, aut pretium supplendum: ita etiam libello tuo exceptio ineptitudinis obstat, si, re tali perempta, in actionem deduceres istud supplendum. Nam nec ex adductis codicillis caesareis, nec ex aliis legibus probari poterit, id esse in obligatione. Ignoratisne, qui scrupulum hunc iniiciebatis, ignoratisne iura, quae volunt, vt, quoties quantitas debetur ratione certae speciei:

ciei: toties etiam species, si illa extat, creditori tradi potest loco illius quantitatis, ac ut e contra, specie peremta, debitor liberetur a quantitatis solutione. f) Hinc, si nostram speciem paulo penitius metimur, fatendum omnino est, emtorem, qui rem restitui recusat, debere venditori circumscripto pretium supplendum ratione ipsius rei emtae, tanquam veram eiusdem et iustam aestimationem. Quae res si aut casu non esset peremta, aut emtor non desuisset possidere: a pretio augendo liberaretur emtor, quando eam traderet venditori in pretio circumscripto. Vnde etiam illud e contra consequitur, ut, re tali peremta, obligatio ad supplendum id, quod iusto pretio deest, cesset, nec emtor ad huius praestationem compelli possit.

XIII

Ex eodem fonte fluere, docetur, quod, venditione ob laesionem enormem rescissa, tam hypotheca, quam aliud onus intermedio tempore rei alienatae ab emtore impositum extinguatur.

Foecunda negotiorum mater plura, nec inutilia, nec inamoena sistit, de quibus meas exposcere videtur meditationes. Ita enim offert vocatam multoties in iudicium quaestionem, an, venditione ob laesionem enormem rescissa, ius hypothecae aliudque onus rei venditae

G 2

ab

f) L. 36. §. 3. de legat. I., L. 26. §. 4. de noxal. action., l. 61. pr. in fin. de furt.

ab emtore impositum extinguatur? an vero non? Variarum sententiarum de hac causa sententiarum, prout vel rigor iuris, vel infcitia mentes iudicum occupatas tenebat. Si mentem oculisque aduertimus ad rescripti saepius memorati verba, *pretium te restituente fundum venundatum recipias*: vix ambigendum videtur, quin res vendita, sine vlla hypotheca, aliove onere redire debeat ad venditorem pretio circumscriptum, si is petito actionis institutae insistebat simpliciter venditioni rescindendae, ac iudex sententiam petito libelli conformem ferebat, nec emtor iure variationis utebatur. Quum enim actor vendiderit rem ab omni onere vacuum: sequitur, vt, contractu venditionis per insequutam iudicis sententiam abolito, res talis restituenda veniat, qualis vendita. Alias enim dici nequaquam posset, venditorem, pretio restituto, recepisse fundum venundatum. Quid? quod venditor pretio circumscriptus vna cum oblato libello non disiunctive concepto, sed nil nisi venditionis rescissionem spirante, offert integrum pretium. Hinc etiam vt integram rem, id est, nullo onere grauata recipiat, humanum est. Regula, quod resoluto iure dantis resoluatur ius accipientis, et in nostra specie suum usum habet. Namquamuis hoc axioma neququam conceptis legum verbis expressum deprehendatur, sed istud ex illarum sententiis, et casibus hinc inde decisus, interpretum solertia petierit: attamen id eo minus hic reiiciendum videtur, quo

quo magis iuris analogiae consentaneum est, ut, quum, petiro huius actionis non disiunctive, sed simpliciter concepto, causa in eum statum, quo fuit ante laesionem, reducatur, hypotheca et omne aliud ius intermedio tempore rei emtae impositum pereat. Scire igitur vellem, quaenam sententiae, quae veraret, rem sine vlllo onere redire, excogitari posset defensio? aut quo colore protegi talis doctrina, quam iustitia expletrix horret? Quam **VLPIANO** g) debemus, et quam etiam in aliis negotiis observari iubent eruditi, regulam, quae vult, *et nemo melioris conditionis esse possit, quam auctor eius fuit, et a quo ius in ipsum transit*, nec in hac nostra specie negligendam esse, arbitror. Quare si emtor in iudicium vocatus rem emtam restituere tenetur; si insuper illi nil iuris in rebus ob laesionem enormem restituendis competit: sane et creditoris hypothecarii ius evanescet. Nescio, an, pro ulteriori defensione causae nostrae, argumento uti liceat, quo alii iam sunt vsi h)? Nimirum si emtio sub pacto additionis in diem est inita: emtor plenum, sed a conditione pendens, dominium nanciscitur; fructus et accessiones lucratur; et, ut dominii effectibus utatur, habet vtile interdictum quod vi aut clam i),

G. 3)

rei

g) L. 54. D. de regul. iur.

h) Vid. **HENR. COCCII** *diff. curios. Vol. I. pag. 403. et iur*

Controu. p. 895.

i) L. 4. §. 4. de in diem ad-
dict.

rei vindicationem k), et facultatem rem pignori obligandi. Inde si ex his solis iudicare velles: concludere posses, eiusmodi pignus valere quoque dominio oppignorantis extincto. At intercedit MARCELLVS l) dicens, *pure vendito, et in diem addicto fundo, si melior conditio allata sit, rem pignori esse desinere, si emtor cum fundum pignori dedisset.* Sicuti igitur toties hypothecae ius esse desinit, quoties contractus e pacto additionis in diem resoluitur: ita etiam idem erit dicendum, venditione ob enormem laesionem rescissa. Nec obiicies, id ea propter admitti non posse, quoniam inter vtrumque negotium appareat discrimen insigne. Nam in nostra specie emtor posset impedire venditionis destructionem, si is, in iudicium vocatus, suppleret iustum pretium. Id quod autem cessaret in pacto additionis in diem. At tibi, qui ita dicis, tibi, inquam, non in mentem venit, et in pacto additionis in diem ab emtoris voluntate pendere, vt contractus suis viribus non destituatur. Id accidit, si is meliorem conditionem offert ac extraneus.

XIV Secus

k) *Arg. L. 66. de rei vind.*

l) *L. 4. §. 3. de in diem addict.*

XIV

*Secus sentientibus eximuntur scrupuli, quos ea
propter mouent.*

Melioris momenti sunt, quae (OH. CORASIVS m),
ANT. FABER n) REINH. BACHOVIUS o), I. H. BOEH-
MERVS p), G. A. STRVVIUS q), ARN. VINNIUS r)
aliquae, causam a nobis peroratum euerfuri, opponunt.
Praecipuum argumentum, sub quo tanquam Aegide qua-
dam se tutos cubare credunt, eo redit. Quoties contra-
ctus resoluitur non quodam necessitatis vinculo, sed po-
tius voluntate emtoris: toties hypothecae ius non ces-
sat f) Atqui in nostra specie, subsumunt, dependere
tantum ab emtoris voluntate, vt rescindatur venditio.
Ergo. Minorem propositionem eo fulciunt, quoniam
rem posset retinere, puta si solueret venditori, quod de-
erat iusto pretio. At tantorum virorum sententiam im-
probo non disputandi, aut ingenii ostentandi gratia; sed
quia persuasum habeo, quod nebulam pro iunone am-
plectantur. Si quid iudico: negandum est, quod in no-
stra

m) CORASIVS ad L. 3. de ser-
uitus.

n) FABER de Error. pragm. de-
cad. 23. err. 2.

o) BACHOVIUS de Pignorib. L.
V. C. 13.

p) BOEHMERVS in Digest. tit.
quib. mod. sol. pign. §. 4.

q) STRVVIUS Exercit. XXIII.

§. 77.

r) VINNIUS Quaeft. iur. L. II.
Q. V.

f) Vid. ANT. NEGVSANTII
Tr. de pign. Memb. I. P. V. n.
43. et FR. MANTICAE Comm.
de tacit et ambig. conuent. T.
31. n. 69.

stra specie venditionis rescissio dependeat ab emtoris arbitrio. Aut enim nequit, aut non vult supplere, quod deest iusto pretio. Vtroque casu venditor, in pretio circumscriptus, permittente, vel potius iubente, rescripto caesareo insistit petito de rescindenda venditione, et iudex petito actoris annuens perfectam venditionem irritam declarat necessitate iuris, emtore quasi inuito. Tantum igitur abest, ut in hac specie talis deprehendatur venditionis rescissio, qualis adesse debet, si, contractu rescisso, hypotheca non extinguenda sit, ut potius argumentum aduersariorum ita infringere queamus, quod scilicet, dum in nostra specie ob iuris necessitatem venditio rescinditur, tam hypotheca esse definat, quam restituito pretio res vendita sine vlllo onere redeat ad venditorem. At, quod vltius proferunt, argumentum prae se fert speciem aliquam. Allegant, ius in re, hinc etiam hypothecam, fortius et potentius esse t) iure ad rem, ex pacto aut lege quaesito, e quo nostrae venditionis abolitio natales duceret. Ergo ius illud praestantius, puta hy-

t) Ius in re praestantius esse, dicitur, iure ad rem, quia per illud ipsa res nobis est obnoxia, et hinc actio in rem contra rei possessorem datur, licet nullum cum hoc celebratum sit negotium: utpote id solum spectatur, ut rem detineat §. 1. I. de act. L. 25. de

obl. et action. Ex iure autem ad rem oritur solum actio in obligatam personam, licet ratione alicuius fundi obligatio contracta sit L. fin. §. 1. D. de contr. emt. Cf. GERH. FELTMANNVS de iure in re et ad rem C. XI et XXVII.

ra hypothecam, non cessare, si, de qua iam sermo, actione instituta dissolueretur venditio. At et hunc serupulum temerarie nectunt. Vt enim non dicam, quod, admissa hac hypothese, non semper constet, quid in quibusdam casibus sit statuendum. Quodnam enim ius praelationis gaudet, si cum iure hypothecae aequae potentius ius, exempli causa dominium directum, concurrat. Id autem mouisse e re nostra erit. Scilicet haec aduersariorum opinio locum plane non inuenit, si, quod in nostra specie videmus, hypothecam constituens conditionatum modo dominium habuit, idque dein esse desinit. Nam tali in casu tota iuris hypothecarii genesis una cum dominio resoluitur: utpote illud ab hoc vires suas accipit, nemoque plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet u). Quid? quod in iure verfatari non ignorant, sententiam aduersariorum vniuersalem non esse, sed adesse potius leges, quae, post resolutum constituentis dominium, aliquoties hypothecam extinguere volunt w). Quum ergo apertum sit, nec adducto dubio regulam illam de resoluto iure creditoris hypothecarii, post resolutum ius emtoris, euertere: vos, aduersarii aliquin sagacissimi! si non animi affectibus occoecati sitis,

H iam

u) *L. 54. de Reg. Iur.*

w) Variis exemplis id edocuit

IO. PAUL. TRUMMERVS
diff. de Effectu hypoth. post re-
solut. domini. constit. C. II.

iam videre poteritis

An non sit vestrum tenue et miserabile telum?

XV

E doctrina haecenus tradita sequi porro, docetur, emtoris esse, ut, pretio cum usuris restituto, fructus interim perceptos venditori laeso restituat.

Progrediamur iam ad alia. Magnas inter eruditos discordias peperit elegans, et digna ulteriori expositione, quaestio, num fructus, ab emtore interim percepti restituendi veniant venditionis contractu ob laesionem enormem rescisso? Non minori contentione ac strepitu super hac quaestione disceptatum fuit, quam super hereditate senis decrepiti in foro inter temere litigantes fieri solet; praeprimis si ad orandam horum causam accedat alter Labienus, de quo constat, quod Afinius Pollio, qui pro Urbiniae heredibus in forum venerat, statim ac Labienum, aduersariorum patronum, adspexit, *eam causam malam esse, exclamavit, quod a Labieno defenderetur* x). Non defuerunt FRANC. DOM. ARVMAEVS y) IOH. IAC. WISSENBACHIVS z), PAUL. BVSIVS a), CHRIST. PHIL.

- x) Meminit illius PAVLIN. A. S. IOSEPHO Orat. de probitate viro literato de necessario pag. 179. edit. IOH. ERH. KAPFER.
- y) ARVMAEVS l. c. p. 1170.
- z) WISSENBACHIVS Diss. ad Dig. XXXV. §. 31.
- a) PAUL. BVSIVS ad L. 3. quib. modis pign. vel hypoth. soluit.

PHIL. RICHTERVS b) et alii, qui, cum ipsa re fructus
 terro a die traditionis perceptos restituendos esse, adfir-
 mant. Nos pro hac doctrina pugnamus non praeiudi-
 catae opinionis feruore ducti. Ac, licet iubeamus, vt
 venditor in pretio laesus restituat pretium cum vsuris, et
 recipiat fundum cum fructibus interim perceptis: atamen
 alia ratione, ac laudari viri, hanc sententiam tuebimur.
 Annon enim venditor, dum libellum actionis ob enor-
 mem laesionem institutae non disiunctiue conceptum iu-
 dici offert, annon is animo gestit, vt integrum venditio-
 nis negotium rescinderetur, adeo, ac si nunquam esset
 celebrata? Annon iudex, dum, lite contestata, emtor iu-
 re variandi non vtebatur, annon iudex, inquam, per
 sententiam petito libelli non disiunctiue concepti confor-
 mem venditorem in integrum restituit? Num vero cogi-
 tare poteris restitutionem in integrum, quae fieret sine
 fructibus restituendis? Ex reliquiis iuris romani, quas
 nostra versamus manu, diiudicare possumus, quod is re-
 stitui intelligatur, cui simul redditur res ac caussa, id est,
 fructus et omne aliud, quod habiturus foret actor, si ipsi
 controuersia non fuisset mota c). Iubent, vt, qui damnare-
 tur rem restituere, eum fructus etiam reddere oporteret d).
 Volunt, vt, si verbum restituas in lege inueniatur, tum
 fructus simul sint restituendi, licet nihil specialiter de
 fru-

H 2

fru-

b) RICHTER *Vol. II. dec. XCIX.* c) *L. 35. et 75. de verbor. sign.*
 n. 214. d) *L. 35. §. 1. de rei vindic.*

fructibus sit additum e). Respondes dubio procul, te hoc non in dubium vocare. Instas vero, omnia haec nostra in specie exulare. Non enim emptori seu debitori in ius vocato DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS iniungerent fundi venundati restitutionem. Vellent modo, vt *venditor cum recipiat*. Constarer, sub huius vocis denominatione non latere fructus. At, vt ex animi sententia loquar, non pertimesco hoc dubium. Non dicam, Imperatores, dum paulo ante viebantur voce restituere, studio abstinuisse repetenda vocula restituere, ac in eius locum substituisse vocem recipere, quo oratio euaderet ornatior. Id potius dico. Mandant Imperatores, vt, qui libellum, spirantem nil nisi venditionis abolitionem, obtulerat, venditor pretio circumscriptus *restituatur pretium*. Si cogitaueris, verbum restitutionis plenissimam habere significationem, et fructuum restitutionem continere; si his cogitationibus iungas, quod fructuum appellatio omnem utilitatem e re quadam percipiendam complectatur: fallor, aut hisce verbis, verissimile est, innuere voluisse DIOCLETIANVM ET MAXIMIANVM, venditoris esse, vt prius pretium cum vsuris reddat, quam fundum venundatum recipiat. Ne contorta haec explicatio videatur: scias, velim, et aliis legibus venditorem adstringi ad pecuniam cum vsuris restituendam, quando vrget restitutionem possessionis venditae cum

e) L. 173. §. 1. D. de reg. iur.

cum fructibus perceptis f). Si ergo venditor, venditionis rescissionem impetraturus, tenetur restituere pretium cum usuris: humanitas, qua innititur decisio DIOCLETIANI ET MAXIMIANI, humanitas, inquam, exigit, vt emtor fundum restituat cum fructibus interim perceptis. Ita enim obtinetur, vt nec emtor, nec venditor, laedatur, vtroque in eum reuertente locum, in quo fuit ante perfectam emtionem et venditionem. Haec omnia aliam induerent indolem, si admitramus libellum disiunctive conceptum.

XVI

Respondetur ad dubia iuris interpretum, qui, nec fructus restituendos, nec usuras pretii soluendas in hoc iudicium venire, statuunt.

In ea, quod miramur, opinione fuerunt ANDR. FACHINAEVS g), IOH. BENED. CARPZOVIVS h) ANDR. GOMEZIVS i), IAC. BRUNNEMANNVS k), AVG. A LEYSER l), IOS. AD. AIBLINGERVS m) SAM. STRYCKIVS n), vt persuaderent aliis, fructus nequaquam venditori ratione pretii laeso restituendos esse, nec

H 3

eum

- | | |
|---|--|
| f) L. i. C. si maior factus alienat. factam. | k) BRUNNEMANNVS ad L. 4. D. de resc. vend. |
| g) FACHINAEVS <i>Controu. iur.</i> L. II. C. XXIV. | l) LEYSER <i>Spec. CCV. med. IX.</i> |
| h) CARPZOVIVS <i>Dec. 86.</i> | m) AIBLINGER <i>Comm. ad dig. tit. de resc. vend. Qu. 8.</i> |
| i) GOMEZIVS <i>Resol. var. T. II. C. II. n. 24. C. IV. n. 21.</i> | n) STRYCKIVS <i>in Vsu mod. tit. cod. §. 8.</i> |

eum tenere ad vsuras soluendas. Argumentis vtuntur speciosis. Tantum abfuisse, vrgent, vt DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in vtroque rescripto mentionem inieciſſent fructuum venditori reſtituendorum, vt nude potius edixiſſent, *venditorem, pretio reſtituto, recipere fundum venundatum.* Quivis, modo ne vtroque lumine captus fit, facile perſpiciet, tantis viris, dum chartae hunc ſcrupulum tradebant, non veniſſe in mentem, quod ad eſſet modo reſcriptum, non vero lex, cuius verba implorant. Nescitiſſe vero, o viri alioquin ſagaciſſimi! principes olim conſueviſſe, in reſcriptis de iſtis duntaxat rebus et factis reſpondere, de quibus erant conſulti? Nescitiſſae, non ſtatim, licet certarum modo rerum mentio in principum codicillis ſit facta, et alias res, et alia facta eſſe excluſa, de quibus ob parem rationem idem reſponſuri forent, ſi modo et de his fuiſſent interrogati? Quare dicamus, DIOCLETIANVM et MAXIMIANVM, de fundo recipiendo rogatos, de hoc reſcribere: et de fructibus ab emtore interim perceptis, ſi de his conſulerentur, idem reſponſuros. Dum vero de his non interrogabantur: in allata ſpecie non opus eſſe, videbatur, vt legumlatores optimi adicerent, venditorem recipere fundum cum fructibus interim ab emtore perceptis, ſimulac pretium cum vsuris fuiſſet ſolutum. Nam quum emtio et venditio locum habeat inter contractus bonae fidei: quum inſuper moris eſſe ſoleat, vt vni alteriue
fru-

fructus plerumque adiudicentur, quando lites agitabatur super eiusdem generis contractibus: praeuidebant, fore, ut et vel ea propter quibus iudex iniungeret emptori, ut rem, venditione rescissa, una cum fructibus restitueret, quamvis nulla lex tale quid discrete iudici praescriberet. Licet ergo altum in utroque rescripto sit silentium de fructibus restituendis: inde tamen non sequitur, emptorem a tali onere eximendum esse. Talis consequentia, quam admitti secus sentientes optant, repugnat cum restitutionis natura. Et quamvis in hoc iudicio non agitur de dolo aduersarii, quem qualitate facti aestimamus: tamen agitur de laesione ac defraudatione quoad quantitatem pretii. Notum vero est, quod, cum de fraude disputatur, considerandum sit, non quid habebat actor, sed quid per aduersarium habere non poterat o). Quadrat, quod D. HADRIANVS protulit in oratione p). *Discipite, inquit, Patres Conscripti, numquid sit aequius, possessorem non facere lucrum, et pretium, quod ex aliena re perceperit, reddere?* At aliud superest dubium, idque per se non magni momenti. Nititur iisdem fulcris debilibus, quibus praecedens. Obiiciunt, emptorem, tametsi nec dimidiam partem pretii soluisset, nihilominus acquisivisse dominium, eumque tanquam bonae fidei possessorem fructus e re emta suos fecisse, hinc, sicuti quibus alius bonae fidei possessor immunis esset a fructibus restituenda-

o) L. 78. de reg. iur.

p) L. 22. de hered. pos.

tuendis q); ita et aequum esse, ut emtor noster eodem iure gauderet. Nec hoc argumentum metuo. Pugnat enim, utraceam, bonam fidem desiderari ut plurimum in tali emtore, cum analogia iuris. Nam emtorem, equis ignorat? ante redhibitionis iudicium gaudere dominio, ac nihilominus obstrictum esse ad rem cum fructibus restituendam r). Quae vero quum ita fiat: licet per analogiam ita concludere. Si verum est, quod, moto iudicio redhibitorio, emtor obstrictus teneatur rem cum fructibus restituere, cuius dominium antea nanciscebatur: sequitur, nec nostrum emtorem effugere hoc onus, si aduersus ipsam venditor ratione pretii laesus instituit actionem, offertque simul pretium solutum cum usuris. Adest enim, prouti iam monui, in nostra specie species redhibitionis.

XVII

*Inde etiam sequi, docetur, quod haec actio institui
debeat in foro domicilii.*

Non heri demum, aut nudius tertius tam in scholis, quam in foro agitari coepit quaestio, coram quo iudice instituenda actio, cuius libellus respuit petitum disiunctiuum. Naturalis illa causidicorum ad dissentendum facilitas et hic cernitur. Argumentis, quibus hic alterne utitur, per-

q) Id pluribus docuit praef. consul. ALB. PHIL. FRICKIUS *circa fructus e re aliena perceptos.*
in *diff. de iure b. f. possessoris* r) *L. 23. §. 1. de aedilit. edicto.*

perfectis fere cum Demiphone illo Terentiano dicendum esse videtur,

— — *fecistis probe,*

Incertior sum multo, quam dudum.

Quidam volunt iubentque, ut coram iudice rei sitae instituat haec actio. Quidam arbitrio actoris relinquunt, maline coram iudice domicilii rei, qui conuenitur, an vero coram tribunali istius iudicis agere velit, in cuius territorio iacerent res alienatae? Instituendam esse hanc actionem, opinor, in foro, quo quis aut locum, aut summam fortunarum suarum, aut maiorem partem constituebat, aut in quo quis assidue versabatur. Ut ita sententiam, me hoc imprimis mouet, quoniam emtionis et venditionis natura, e voluntate DIOCLETIANI et MAXIMIANI, hanc nouam qualitatem obtinuit, quod ob laesionem enormem ad contractus perfecti rescissionem agi queat. Quem vero fugit, actiones, quarum finis absoluitur rescindendo negotio, institui coram foro domicilii? Aliud forum eligere posset actor pretio circumscriptus, quando ipsi relictum esset, petitum actionis disiunctiue adornandi. Accedit et hoc, quod in nostra specie actio proueniat ex ipso emtionis et venditionis contractu. Quare quum personalis sit: aliud forum ac domicilii respuit. Sicuti enim in causis realibus reus in foro rei sitae conueniendus: ita etiam consuetudinis lege

receptum est, ut actione personali debitor conveniretur in foro domicilii, aut contractus, si ibi reperitur s). At obiicit, rem peti hac actione, hinc et aliud forum eligendum esse. Nego, rem venditam principaliter peti hac actione. Ut enim non dicam, actorem pretio circumscriptum insistere petito libelli, ut rescindatur emptio venditio. At id annotasse e re mea esse, opinor. Si haec actio tenderet principaliter ad rem restituendam: sequeretur, quod institui posset contra singularem heredem, seu contra tertium bonae fidei possessorem, in quem primus emptor denuo transfulerat rem. Id quod autem ne tunc quidem concedendum esse, videtur t), siue soluendo sit is, qui in contractu alterum circumveniebat, siue non sit, siue rem titulo oneroso acquisiverit, siue lucratio. Fieri enim nequit, ut actio, quae personam eius, qui obligatus est, tantummodo adstringit, contra eum exerceri queat, qui eius heres, aut successor uniuersalis non est. Nam is, qui tali utitur actione, adfert, eum sibi obligatum esse, aduersus quem agit. O vero, iam satis diximus! Vellit me, nisi animus somniat, STEPHANVS FORCATVLVS, et, paucis inuerlis, desinere iubet summa rescripti, a nobis

s) Vid. IOH. ZÄNGERI *tract.* t) ANT. MERENDA *l. c. l. l. de Exc. Vol. I. P. II. C. I. n. Cap. XLIII.*
265.

bis illustrati, quam concinne hunc in modum concepit. u)

*Aequarent fuluos Lupi cum praedia nummos
Ter quinque, is septem vendidit aureolis.
Contractum Lupi rescindere desinat heres
Ob vilem summam, quaero quid emtor aget?
Heredi humanum est, ut praedia reddat agenti,
Suscipiens nummos, iudicis arbitrio,
Emta, vel obseruet iustum supplendo valorem.
Indemnis tali fiet uterque modo.
Nam laesus nimium, qui vendidit, esse videtur,
Ni iusti acceperit dimidium pretii.*

u) FORCATVLVS dialog. X.


Errata.

Pag. vii. lin. 12. loco docti lege *docte* et Pag. xxvii. lin. 13. ponat pro seu *ceu*. Pag. xxix. in not. r) pro L. 3. legas *L. ii.*

X 239 6279







B.I.G.

Farbkarte #13

1774,1
562.
13

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DE
LIBELLO ACTIONIS
OB LAESIONEM ENORMEM
INSTITVENDAE
NON DISIUNCTIVE CONCIPIENDO
AD L. II. C. DE RESCIND. VEND

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDIO

D. ALBERTI PHILIPPI FRICKII

IVRISCONSULTI ET ANTECESSORIS

P R O

SVMNIS IN VTROQVE IVRE CAPESSENDIS
HONORIBVS

AD D. XV MARTII CIOCCCLXXIV
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V B M I T T I T

AVCTOR

NICOLAVS STAMPEEL

CAPITVLARIS ECCLES. CATHEDRAL. HAMBVRG

HELMSTADII

LITPERIS VIDVAE P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR

